



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

§. I. An Clerici sint exempti à Jurisdictione seculari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

P A R S III.

De Foro Ordinario Singulari.

CAPUT I.

De Foro Competente Clericorum.

§. I.

An Clerici sint exempti à Jurisdictione Seculari.

SUMMARIUM.

- 221. Ordo doctrinæ proponitur.
- 222. Et contrà sentientium opinio.
- 223. Eorum argumenta ex S. Scriptura.
- 224. Et SS. Canonibus diluuntur.
- 225. Statuitur Catholica doctrina, Clericorum personas à Seculari Jurisdictione esse exemptas.
- 226. Respondetur ad Leges oppositas Justiniani Imper.
- 227. Nonnullæ inde sequelæ deducuntur.

221. Ordinem secutus, quem mihi suprâ n. 9. proposui, de Foro Singulari, quod quidam *Privilegiatum* dicunt, hîc agam. Et licet non tantum quædam personæ, sed etiam causæ à Foro communi lege, vel humanâ, vel Divinâ, aut potius ipsâ suâ naturâ exemptæ sint, ita ut non cujusvis Judicis jurisdictioni, in cuius territorio existunt, sint subjectæ: separandas tamen hîc duxi, acturus modò de Personis, ac postea P. V. de Causis. Initium facio à Personarum Ecclesiasticarum exemptione & immunitate personali, vi cuius in criminalibus & ratione delictorum, ac etiam in civilibus, saltem si actione personali conveniuntur, respondere coram Magistratu politico non tenentur: neque enim huc pertinet illa Immunitas altera, quæ, quòd rebus Ecclesiasti-

cis competit, *Realis* dicitur; uti nec illa, quæ *Localis* appellatur, quòd sacris Deoque dicatis locis debetur.

222. Clericos olim sub Imperatoribus Ethnicis Magistratu laico subjectos fuisse, quidam etiam Catholici DD. tradidere. Etiam sub Imperatoribus Christianis ipsos quoque SS. Pontifices quondam jurisdictioni secularium Principum fuisse subditos, asserunt præter alios heterodoxos DD. Matth. Stephani *L. 3. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 96.* Thom. Michaël *de Jurisd. thes. 10.* Carpz. *pract. crim. p. 3. q. 110. n. 83.* ubi magno hiatu & pari audacia ac temeritate asserit, Clericorum exemptionem esse contrariam Juri Divino, non solum Ecclesiam antiquam (quam quia abiecit, contemnendam putat) sed etiam Christianos Imperatores, qui hanc immunitatem suis legibus stabilierunt, violati Juris Divini reos agens. Etiamnum subjectos esse ait Wissenbach *ad Pandect. Lib. 2. disp. 6. n. 38.* secutus Petrum Vermilium, postea dictum Martyrem, celebrem olim Florentiæ concionatorem, & demum celebrem apostatam ac Calvinistam. His initio seculi XII. præiverat hæresiarcha Marsilius de Padua, negans inter alia, Pontificem esse Christi Vicarium, & subjectum Imperatori asserens.

223. Argumenta pro hoc errore, uti pro cæteris, Martyr, & affectæ depromunt ex SS. Literis. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Rom. 13. v. 1.* *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse. Tit. 3. v. 1.* ergo, inferunt, Clerici secularibus judicijs sunt subjecti. Verum mala est hæc illatio, nec regulis ullis aut Dialecticæ aut Juris conforme, ex universali asserto de subjectione ad aliquam potestatem inferre subjectionem ad potestatem certam: hac enim ratione ex eo, quòd Europæi subjecti esse debemus potestati altiori, sequeretur nos esse subjectos Principibus Asiæ v. g. aut Africae. Ut ergo ex illis aliisque Scripturæ Sacræ textibus deduceretur ea sequela, probandum prius foret, laicos esse Clericorum Superiores & Judices competentes: de his enim solis Deus ibi loquitur, non de quocun-

que

que Magistratu. Aequè ineptè Carpz. *l.c.* adducit *c. 20. Matth.*
c. 10. Marc. c. 22. Luca, ubi dicitur, quòd *Principes gentium do-*
minantur eorum; & qui majores sunt, potestatem exercent in
eos &c. Multo verò ineptissimè Wissenbach. *l.c.* illud *1. Petr.*
3. v. 1. mulieres subditæ sint viris suis. Melius ex eo, quòd
 Principes suis subditis, viri suis uxoribus dominantur, conclusif-
 sent, se esse subditos SS. Pontificis: foret enim saltem consequens
 verum, etsi mala, æquè ac illa ipforum, consequentia. Nimirum
 illis effatis sacris solùm dicitur, subditos Superioribus obedi-
 entiam debere; non verò, quibus Magistratibus vel Laici vel Cle-
 ricis subsint. Addunt Stephani *l.c. n. 97.* ac alij præjudicium, ut
 ajunt, Henrici IV. Imp. Pontificatum Benedicto X. abrogantis &
 Nicolaum II. substituētis: sed si ea, quæ injuriâ & violentiâ acta
 sunt, in exemplum adducuntur, adduci præter complura alia po-
 terat etiam factum Neronis utriusque Apostolorum Principi Cla-
 ves cum vita extorquentis, & generosâ inde consequentiâ inferri,
 quòd Reges & Pontifices sint subditi parricidarum, à quibus corona
 & vitâ privantur. Denique factum D. Pauli producunt coram
 Judææ Præside respondentis & ad Cæsarem appellantis: ergò, in-
 quiunt, eos agnovit suos Magistratus. Sed Paulus ad Præsidem
 illum vi adductus fuit, & ad Petrum Christi Vicarium remitti
 frustra ab Ethnicis & Judæis postulasset. Cæsarem appellavit, id
 est, ut Syrus vertit, protectionem Cæsaris invocavit: & ad Judi-
 cem laicum contra laicos vim facientes, uti fecerant Paulo Festus
 Præses & Judæi, provocari posse à Clericis, quin illum agnoscant
 competentem suum Judicem, notius est, quàm ut declarari de-
 beat.

224. Sed & SS. Canones afferunt, quibus, ut ait Carpz. *l.c.*
 ad oculum demonstratur, & ipsos Pontifices seculari jurisdictioni
 sese subjectos agnovisse. Verum qui æquis illos oculis legerit,
 nullam ibi probationem, multò minùs demonstrationem ad o-
 culum videbit. Scripsit Pontifex Imperatori, ut refertur *Can.*
41. 2. q. 7. Nos, si incompetentèr aliquid egimus, & in subditis
justæ

justa legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio. Sed hinc nihil aliud dicit Pontifex, quàm se ita confidere suæ innocentiae, conscientiaeque rectè factorum, ut nullius hominis iudicium formidet, seque paratum esse emendare, quidquid à se peccatum esse quisquam ostenderit. Quod sæpe & alij Principes ac Magistratus erga suos subditos profitentur, quin in ipsis aliquam jurisdictionem agnoscant. Sic D. Petrus, dum *epist. 1. c. 3. v. 15.* paratos nos esse jubet semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe, non nos subicit jurisdictioni omnium eorum, qui rationem fidei nostræ speique à nobis exposcunt. *Can. 10. 11. § 13. dist. 10.* quos pariter adducunt Stephani & Carpz. *ll. cc.* nihil profus habetur, quod ad præsentem quaestionem faciat, ut mirum sit, viros doctos & veritatis amantes in animum induxisse eos adducere. Sed *Can. 7. § 8. 23. q. 8.* Imperatori rationem reddit Pontifex, quod arma suscepisset pro defendenda Roma, inquit Stephani *l. c.* Verùm quis Laicus vel Clericus, dum alteri dicit, se nihil contra ejus jus fecisse, eum Superiorem agnoscit? Hoc autem dicit Pontifex Imperatori *cit. can. 8. scire vos oportet*, inquiens, *quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi*, suos homines & subditos asserens Cives Romanos. Æquè parùm ad rem facit *Can. 9. cit. dist. 10.* ibi enim solum dicit Pontifex, se capitula & leges Imperiales conservaturum, seu non permitturum, ut violentur: hoc autem etiamnum profitentur & faciunt SS. Pontifices, absque eo, ut se subditos profiteantur laicis.

225. Igitur omisissis heterodoxorum cavillis, asserendum est, esse Catholicum dogma & quod absque errore in fide negari non possit, Clericorum personas à jurisdictione seculari exemptas esse. Id enim traditur plurimis Canonibus, quos collegit Oliva *p. 1. Fori Eccl. q. 9. n. 1.* Em. Gonzalez *in c. 8. de Judic. n. 2.* Anton. Augustin. *in Epitom. Jur. Can. l. 30. tit. 5.* Coccius *tom. 2. thesaur. l. 8. art. 8.* Gretser. *de immun. Eccles. l. 2. per tot. ac passim alij.* Et sequitur

que servandam hanc immunitatem docuerunt non solum Trid. *sess.* 25. c. 20. *de Refor.* sed & alia plurima Concilia tam Generalia quam Provincialia ferè ab initio Ecclesiæ, ut demonstrat Suar. *in defens. Fid. lib. 4. c. 3. à n. 20.* Ex quibus, ut idem ait *n. 24.* evidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi privilegium exemptionis à potestate seculari, cum impossibile sit, tot Pontifices sanctos & sapientes, quorum multi etiam Martyres fuerunt, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse. Imò, ut idem loquitur, de fide certum esse debet, institutionem & observationem hujus privilegij honestam & sanctam fuisse & esse, nec à Clericis illud contra Imperatores & Reges (ut calumniantur hæretici) per tyrannidem vel injuriam fuisse usurpatum. Nam de fide est, Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ universali auctoritate Pontificum & Conciliorum Generalium observari præcipiuntur. Et in Ecclesia per plurimas leges Canonicas & universales approbatur hæc exemptio Clericorum, & observari præcipitur, ac novissimè innovatur & confirmatur à Trident. *l. c.* ergò de fide certum est, tam hoc Concilium quam priora, & SS. Pontifices in hoc non errasse. Ergo pariter de fide certum est, hoc privilegium fuisse indultum convenienter & validè, ac proinde esse observandum.

226. Neque obstant, quæ huic privilegio contraria habentur *L. 25. princ. L. 33. § 37. §. fin. C. de Episc. & Cler. & Novell. 83.* Nam hæc similisque immunitati Ecclesiasticæ contrariæ leges nunquam valuerunt, cum Justinianus in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ nihil statuere potuerit, nec Canones Ecclesiæ abrogare, nec privilegium semel à Constantino *L. 7. tit. 2. lib. 16. Cod. Theod.* legitimè concessum, ab Impp. Theodof. & Valent. *L. 46. § 47. cit. tit. 2.* confirmatum, & ab Ecclesia acceptatum, revocare, *quia fas non est, ut dicitur cit. L. 47. ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Quin si valissent leges istæ Justinianæ, abrogatæ rursus fuissent, tum per *c. 4. 8. § 10. de Judic.* tum per *Auth. Statuimus. C. de Episc. & Cleric.*

ric. & Auth. Cassa C. de SS. Eccl. quarum primâ Fridericus II. Imp. statuit, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare presumat; alterâ cassâ & irrita decernit omnia Statuta & consuetudines, contra libertatem Ecclesia ejusque personas, inductas aduersus canonicas & imperiales sanctiones. Pariter non obstat Concil. Matiscon. l. c. 7. & can. 6. Concilij Paris. V. nam propter iniquitatem illorum temporum Episcopi in ea Galliarum parte permittebant laico iudici cognitionem nonnullorum criminum, furti nimirum, homicidij, & maleficij à Clericis commissorum, uti observant Suar. cit. l. 4. c. 15. n. 8. Lotharius de re benefic. l. 3. q. 33. Emm. Gonzal. l. c. n. 12.

227. Ex dictis consequens est I. quòd processus factus à Iudice Laico contra Clericum, quamvis ignorante esse Clericum, sit nullus: quia ubi deficit iurisdictio, acta sunt nulla. C. ad nostram 3. de Consuetud. l. 1. C. si à non compet. Judic. C. Ex literis §. fin. de offic. & potest. Jud. Deleg. C. at si Clerici de Judicijs. Consequens est II. quòd si Iudex secularis capiat Clericum propter delictum, teneatur illum remittere absque ulla causæ cognitione ad Iudicem Ecclesiasticum, si constet esse Clericum gaudentem fori privilegio. Quid verò agendum sit, si de Clericatu, aut amisso ejus privilegio dubitatur, dicitur infra p. 5. c. 1. §. 2. Consequens est III. quòd peccet graviter tam Iudex, qui attentat iurisditionem in Clericum, quàm ille, qui Clericum ad Iudicem secularem citari curat; quàm ipse denique Clericus, qui coram illo respondet: nisi sit in Minoribus Ordinibus & Clericatum deserere velit. D. Antonin. 3. p. tit. 9. c. 2. §. 3. Silvester in Summa V. Iudex l. q. 2. dict. 3. Thom. Sanchez in Opusc. Moral. lib. 6. c. 1. dub. 1. n. 14. De Iudice, & Adversario Clerici eum ad tribunal seculare trahente, patet cum ex can. Clericum cuiuslibet 3. can. Clericum nullus 17. & can. nullus 33. II. q. 1. tum ex eo, quòd in re gravi violant immunitatem & libertatem Ecclesiasticam. De Clerico se iudicandumistente constat ex cit. can. Clericum nullus, ubi Clericis præcipitur, ut

ut coram Judice seculari non respondeant. Consequens est IV. quòd omnes tres sint puniendi. Et Judex quidem privandus est officio judicandi: is verò, qui provocat ad judiciumulare, causâ cadat, ac excommunicetur: ac Clericus comparens loco seu dignitate cadat, vel si malit, causâ cadat, quam evicit. *can. inolita* 42. & *can. placuit* 43. 11. q. 1. *C. si diligenti* 12. *de Foro Comp.* Silvest. l. c. Sanchez l. c. n. 13. cum Hostiensi ac alijs.

§. II.

An Privilegium Fori Clericale sit Juris solùm Humani, & consuetudine, vel statutis Principum tolli possit.

SUMMARIUM.

- 228. Proponitur doctrina affirmantium, privilegium Fori Clericale esse Juris Divini.
- 229. Explicatur & approbatur.
- 230. Affertur ejusdem ratio.
- 231. Exemptio Clericorum à jurisdictione seculari tolli nec consuetudine.
- 232. Nec præscriptione.
- 233. Nec statutis potest.

228. Tria circa privilegium Fori Clericis competens in controversiam duci video. Primò enim dubitatur, sitne hæc exemptio Juris etiam Divini, an solùm humani. Illud asserunt propè innumeri quà Theologi & Canonistæ quà Legistæ, quos congerunt Delbene *de Immun. Eccles. p. 1. c. 1. dub. 2. sect. 1. n. 25.* & Emm. Gonzalez l. c. n. 10. quos quia secutus est Anton. Faber, ridiculus & ineptissimus Theologaster est Bachovio *disp. 1. de action. thes. 28.* ubi addit, quòd is talem se etiam in primordio sui Codicis egregiè ostenderit. Verùm quòd ita loquitur vir aliàs passim in eodem Fabro, uti & Hunnio, lacerando metas decori & æqui longè egressus, mirum non est. Interim, quæ

Z

Faber